DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

AUCTORE THOMA ANDREWS.

Vix aut ne vix ullus morbus inveniri potest, ex omnibus, quibus homines subjiciuntur, qui acrius medicorum studium desiderat, quam dira *Phthisis Pulmonalis*, de qua pauca conscribere visum est.—Tabulæ, quæ Londini quotannis eduntur, luculenter edocent, quadraginta fere millia nostratum singulis annis hac tabe lethali occidi: de qua

[Edinburgh: Abernethy & Walker. 1811.]

mihi, nil novi professo proponere posse, quæque notatu dignissima conscribendum erit.

DE DEFINITIONE.

Hoc malum classi *Pyrexiæ*, et ordini *Hæmorrhagiæ* subjectum, hacce oratione Cullenus definivit: "Macies et debilitas corporis, cum tussi, febre hectica, et plerumque puris expectoratione." Duas subjecit species, nimirum, *Phthisin incipientem* sine pure, et *confirmatam*, pure extussito.

DE MORBI SIGNIS.

Quanquam a nulla fere terrarum orbis parte alienus est hic morbus, quibusdam tamen præ cæteris subesse consuevit; potissimumque Britannos adoriri cognoscitur. Sæpius homines male habet, ex quo pubescere cœperunt, fere usque ad mediam ætatem: et fœminæ, ei quam viri, opportuniores existimantur. Nihil vero hujusmodi perpetuum esse potest; et pari ratione, modo cito pede ad fatum properat, alias complures antea menses, imo biennium perstat, quam miseri succumbant.

Paulo supra memoravi Cullenum in duas partes tabem pulmonis diduxisse: de notis

quæ eandem incipientem insigniunt, nunc paucis disserendum erit.

Inter principia, æger non nisi tussim conqueritur, eamque paulo leviorem; quam fere nihili facere solet: nec raro asserit se, ista excepta, valetudinis esse integerrimum. Aliquantum simul febrit et incalescit, maximeque noctu, et accepto jam cibo. Malæ præter consuetudinem rubent: arteriæ concitantur, et noctu durius et crebrius exagitantur. Interdum homo sitit; lingua fere plus justo rubescit; subest angoris et gravitatis circa præcordia sensus. Latus alterutrum aut utrumque acutius leviusve dolet; et æger parum dormit, tussiendo et graviter spirando vexatus et excitatus. Nec vero spirat rarius, imo potius duplo aut triplo celerius, quam corporis integer; sæpe suspirat, quasi edito ad id molimine gravi. Hæc mala, pituita expuenda, sæpe aliquantum leniuntur. Æger pectus nec ampliare nec

coarctare potest adeo plene atque valetudine secunda solebat, ob tussim et dolorem inde exasperatos. Excernenda et secernenda omnia imminuuntur. Ardent extrema. Tandem corpus emacrescere incipit; cibos æger male appetit et concoquit, nec raro devoratos evomit. Languent animi et corporis vires; et omnia fere mala supra comprehensa ambulando aut currendo ingravescunt.

Jam antea enarrata indicia brevius diutiusve trahunt. Dein alia accedunt, ex quibus pulmonem exulcerari judicamus. Arteriæ crebrius micant; pus expuitur, aut sincerum aut cruentum, aut *calculis* mixtum; et quo cruentius, eo fere pejus. Febris, quæ *hectica* vocatur, supervenit: ut plerique sentiunt, eadem bis quotidie accedit, meridie et vesperi; verisimile tamen est accessionem gravem non nisi vespertinam esse, nimirum post cibos sumptos. Inter febris ardores læte rubent malæ, idque exiguo ru-

bore. Dein adsunt rigores, collabitur et pallet vultus. Vox rauca editur, perinde quasi ex alto proveniret. Nunc latus vehementius dolet; æger celeriter et difficulter spiritum trahit, et hora matutina fere plus excreare solet. Non sine molestia summa cubat, neque nisi supinus jacere potest, elatis humeris et capite. Omnia demum adeo in malum ruunt, ut plane doceamur hominem in præcipiti esse, et parum abesse quin extinguatur. Oculi pallent, et concavi fiunt; tempore vespertino tali et pedes intumescere dira aqua intercute incipiunt. Pus modo flavet, modo viridescit, alias cruentum editur; ungues adunci fiunt; crines delabuntur; noctu æger insudat, idque sudore glutinoso et gelido. Alvus ultra modum et præter voluntatem descendit: qua duplici exinanitione infelix mirum in modum labefactatur. Fauces nunc ulceribus, quæ *apthæ* nominantur, efflorescunt; et denique concidens genus nervosum, delirium,

tendines digito subsilientes, et interdum nervorum distentiones hominem absumunt.

DE CAUSIS.

Causæ unde morbi enascuntur, rite ad duo capita referri solent; nimirum, aliæ ad eos homines propensos faciunt; aliæ, substante proclivitate, ipsos morbos facessunt.

Quæ proclivitatem efficiunt.—Potissimum inter has enitere labem genitis a parentibus traditam, valde suspicamur. Propensiores autem sunt ad tabem pulmonis, qui multo sanguine aut sine aut cum atra bile donantur; qui vultum pulchri et speciosi sunt, et animo corporeque præter modum irritabiles sunt, et sensu exquisitiore præditi; venis

simul amplioribus et præter consuetudinem purpureis. Multis persuasum fuit, quos struma inficit, eos persæpe in hunc morbum illabi, præcipueque in id genus ejusdem, cui pulmo tuberculis oneratur. Neque alia profecto causa esse potest, quare tot millia Britannorum hoc malo pereant; qui sane strumæ sunt opportunissimi.

Pectus male instructum, motu sanguinis per pulmones ita impedito, homines ad tabem pulmonis propensos reddit. Idem nimirum angustius, costæ fere planæ, os pectoris extrusum, cervix longior et humeri elati, quæ non raro cum homine nascuntur, hoc morbo perituris sæpenumero subesse observantur. Hinc manifestum est strumam et tabem pulmonis quadam affinitate consociari. Non homines omnis ætatis pariter huic sunt obnoxii; sed potius adolescentes, quique inter pubertatem et ætatem mediam sunt. Neque vero inficias est eundum, ex altera parte

adhuc impuberes, ex altera vero plures, qui annum quadragesimum attigerunt, hunc morbum experiri posse.

Quæ morbum excitant.—Tot et tam variæ sunt noxæ, unde proficisci consuevit malum, quod prosequor, ut eas omnes intra fines, qui hujuscemodi disputationes complectuntur, comprehendere non facile esset. Oportet igitur, ut contracto sermone utar. Prius autem illud memorare placet, quam ad hanc propositi partem veniam; undecunque scilicet tabes pulmonis exoriatur, eandem non nisi in tria genera recte diduci; nempe, eam

I. Aut a tuberculis enasci;

II. Aut a suppuratione inflammationi pulmonis superveniente;

III. Aut ab inflammatione prægressa membranæ, quæ fistulas animæ obducit.

I. Ab iis noxis incipiendum erit, quæ hanc valetudinem tuberculis gignendis aut inflammandis inferre videntur. Nullum genus adversæ valetudinis morbus, de quo disputo, sæpius quam *hæmoptysin* sequitur. At vero nequaquam judicamus, sputum sanguinis per se *phthisin* arcessere. Hoc sputum vasa pulmonum plus justo referciri prædicat; et quoties in malum propositum desinit, ista corpori adsunt, quæ strumam subesse, ideoque forsan, tubercula, insigniunt; noxæ igitur, unde *hæmoptysis* hic provenit, ut dura ista tubercula inflammentur, et tandem exulcerentur, efficiunt.

Res est notissima *asthma* etiam sæpenumero in *phthisin* desinere; quam facessere habetur, tubercula creando et exasperando: non vero inficiandum est, quin plures *asthmate* correpti ad ultimam senectutem pervenerint, hujus mali integerrimi. Quod ad ipsa tubercula pertinet, longe sæpius pul-

mones infelicium, quos conficit hic morbus, male habere comperiuntur. Eadem quodammodo cum struma sociari valde suspicamur; sed qualia sint, parum novimus. Membranæ *cellulosæ* pulmonum incumbunt; sunt rotunda, paulo duriora, et mole plurimum variant; subalbida, interdum cartilaginem referre videntur. Vasis sanguineis carent, et casei duri speciem præ se antea ferunt, quam exulcerantur. Non veri absimile esse judicamus, eadem ex humore glutinoso densato fieri, quem vasa pulmonum effuderint. Tandem exulcerata membranam erodunt, adeo ut pus, quo implentur, in animæ fistulas profusum, cum cruore extussiatur.

Quæcunque pulmones exasperant, si adsint tubercula, facile hunc morbum cient. Hujusmodi sunt pulveres acres, aut fumi metallis fusis orti, cum anima intus accepti. Hæ vero noxæ, jupiter frigidus et humidus, exinanitiones solitæ quiescentes, et calculi

in pulmonibus aut ut tubercula suppurent efficiendo, aut pulmonem inflammando, huic morbo ciendo sunt idonea.

II. *Phthisis* aliquando vomicæ inflammationem pulmonis sequenti supervenit. Hoc vero genus morbi, quem prosequor, multo minus est terribile, quam antea dictum; neque raro homines convalescunt, qui, pulmone inflammato et vomica facta, pus expuerant. Constat igitur eam inflammationem rarius nisi natura proclivioribus *phthisin* inferre.

III. Si quando hic morbus inflammatæ membranæ, quæ obducit animæ fistulas debetur, satis periculosus esse comperitur. Quoties vero gravedo, destillatio, morbilli, variola, angina, &c. tabem pulmonis antecedunt, eandem progignere videntur, prius membranam jam dictam inflammando.

DE CAUSA CONTINENTE.

Nihil fere ad morbos pertinens obscurius et difficilius esse solet, quam quod ad causas morborum *continentes,* vel *proximas,* quæ vocantur, spectat. Verbum istud *Proxima,* judice Gregorio claro, haudquaquam bene morbis imponitur. Quoniam vero hanc rem agitare hic loci plane alienum esset, quam brevissime, qua causa contineatur propositus morbus, ostendendum.

Corporibus igitur mortuorum incidendis, constat tubercula exulcerata, vomicas, aut ulcera pulmonum, hujus diræ valetudinis causam proximam existere.

DE DIAGNOSI.

Iniens hic morbus in tantum insidiatur, et adeo obscurus est, ut vel artis medendi expertus decipi possit, et dubius hæreat, mera gravedine aut destillatione, an hoc teterrimo morbo aliquis implicetur. Haud igitur abs re existimavi, quædam de dijudicando disputare.

Catarrhus ultima hyeme aut vere ineunte, fere homines aggreditur, jove humido et frigido fere oriundus; et isto acri humore membranam narium et faucium exasperante, et signis faucium inflammatarum potissimum prædicatur. Inter ipsa principia, ægrotus febricitat et tussit: multo tamen minus in-

firmatur, quam tabe pulmonis correptus: et neque febre ista *hectica* exardet, neque emacrescit. Quem non nisi *catarrhus* torquet, huic raro contingere observatur indoles ea propria corporis antea memorata, morbo, de quo agitur, conficiendis propria. Ille auris æstivis fere semper devincitur; hic æstate mitescens, furis tamen adinstar, intimis penetralibus latet, demum arsurus et vitæ flammam serius ocyus extincturus. Quod si tandem, pulmone exulcerato, aliquis pus expuerit, neminem fere mali natura fallere potest; omnia tunc erumpunt; omnia patent. Hic loci operæ pretium duxi, quibus notis pus a *muco* discerneretur, proponere.

Imprimis, si pus in aquam injicitur, eadem misceri videtur; sed paulo post descendit: mucus immissus natat, et quasi floccorum speciem propriam induit. Si utrique *acido sulphurico* dissoluto aqua accedit, pus præceps cadit, mucus autem non demittitur.

Microscopio interposito, globi exigui albi in pure patent; quibus mucus omnino caret. Pus calefactum graviter olere dicitur; mucus nequaquam.

At vix inficias est eundum hæc omnia parum fidei habere; et maxime febre *hectica*, aliisque exulcerationis propriis innitendum esse, quo clare dijudicemus.

DE RATIONE QUORUNDUM SIGNORUM.

Præcipua et gravissima solum ex his proferre opus est.

Tussis.—Ineunte hoc morbo, tussis membranæ fistularum animæ sicciori, ideoque irritabiliori debetur; sub finem vero potius ex

eadem pure exasperata et impedita nascitur; et eo magis sævit, si id pus tuberculis proficiscitur; quod acrius esse videtur.

Spirandi difficultas.—Inter principia, inflammatio pulmonis et sæpe tubercula, motum sanguinis per pulmonem impediendo, spiritum gravant. Postea vero calculi, qui interdum subesse videntur, exulceratio, et profusio sanguinis intus e vasis diruptis, spirandi difficultatem longe graviorem facessunt. Neque non pectoris angustia hoc malo implicitis propria, aliquid operæ huc conferre videtur.

Febris hectica.—Nunc tandem comperitur exulcerationem hanc febrem fere semper antecedere; quomodo ulcus factum hanc concitaret, explicare non audeo.

Alvi fluxus.—Alvi fluxus, morbo jam ad exitum lethalem properante, accedit, et viri-

um summæ resolutioni tribuendus est; fibris circa anum laxatis. Fatum propinquum nunquam non est augurandum, quoties hoc signum supervenit.

Sudores.—Hi etiam ad finem erumpunt et pessimo indicio sunt habendi: non aliunde, quam alvi fluxus, enascuntur; semperque vires admodum labefactatas ostendunt.

Ungues adunci, Oculi pallentes, &c. maciem prædicant: hi scilicet adipem resorptum, illi digitos extenuatos demonstrant.

Crines decidunt, propter languidum sanguinis motum; quo fit, ut ad extremas corporis partes non rite deferatur: hic etiam, cutis ipsa explicita aliquando decidit.

Tumor talorum et pedum.—Hic tumor partim ad vitæ vires concidentes, partim ad san-

guinem ægerrime per pulmones translatum est referendus.

Mens integerrima, nisi ad finem.—Paulo difficilior est hujus rei ratio. Res est autem notissima, dum atra bile, et ventriculo infirmo vexati, tristes et mœsti, de sua vita et rebus desperant, tabe pulmonum tortos diu animo æquissimo, hilari et sereno esse præditos, nec nisi tussim queri, se aliter bene valere credere solitos. Quibusdam placuit corpora hoc morbo ægrotantium *oxygenio* præter modum imbui; cui mentem sanam tribuunt. Quam sententiam ludibrio habendam æstimo: vires tamen cordis et arteriarum collapsæ, adeo ut idonea sanguinis copia non ad cerebrum deferatur, causa esse videntur, cur æger jam moriturus deliret.

DE PROGNOSI.

Plerique medici confitentur, pulmone exulcerato, desperandum esse. Si profecto hic dirus affectus eo sævierit, ut pus expuatur, ut miser febre ista *hectica* marceat, et sudet, constat in præcipiti hominem versari: eoque celerius fatum expectandum, si, quod expuitur, sanguine miscetur, et alvus simul ultra modum liquatur.

Spes tamen non abjicienda erit, si inter principia ipsa homo ad Galliam, aut Lusitaniam se receperit: in Britannia enim morari, letho fere est se dedere. Spem vero semper esse quam minimam facile patet alicui consideranti secum, motum pulmonis in-

ter spirandum assiduum non posse non eum inflammatum facile exulcerare, exulceratum adeo irritare, ut ulcus sanari nequeat.

DE MEDENDI RATIONE.

Duo consilia fere curationem totam amplectuntur. I. *Alterum* est, cavere ne tubercula inflammentur, aut inflammata exulcerentur. II. *Alterum*, signa, quæ molestiam facessunt, et infirmando fatum celerarent, potissimum ad finem, quantum id fieri possit, lenire.

I. Quo hoc consilium rite perficiatur, maxime omnium valet cœlum mutare. Æqualis tempestas, et neque æstuosa neque frigidior, neque siccissima, nec tamen nubila præstat.

Ægro igitur, simul atque prima mali semina sese ostendere cœperint, statim ad Madeiram, Lusitaniam, Hispaniam, Galliam aut Italiam, ni furor belli vetet, eundum est. Quod si id non liceret, impediente Marte aut rebus angustis, Devoniam saltem petere oportebit. Vitæ ratio non parvi æstimanda est: cibus e carnibus, vina meraciora, et quæcunque stimulando, tubercula inflamment aut exulcerent, summo studio vitanda sunt. Cavendum est simul, ne quid peccetur, nimium abstinendo. Hinc cibus e media materia longe optimus est; vires enim satis sustinet, neque vero inflammationem arcessit. Lac convenientissimum esse omnium ad corpus, ineunte tabe pulmonis, alendum existimatur.

Ignavia et nimia ambulatio corpori pariter nocent: illa, humores secernendos et excernendos reprimendo, et ita propensionem ad inflammationem augendo; hæc,

motum cordis et arteriarum concitando. Quod ad vestem, istiusmodi esse debet, ut corpus ab auris frigidis et humidis Britanniæ propriis defendatur, neque tamen ultra debitum calefiat. Æger igitur panno laneo vestiri debet; qui etiam, halitum per cutem leniter evocando, proderit.

Medicamenta et alia remedia, quorum auxilio consilium propositum exequamur, sunt *sanguinis detractio*, pro ægrotantis ætate, sexu, viribus, et prout signa leniora aut vehementiora sint, parcior ampliorve; *exulcerantia*, alvi *purgantia*, et quæ *vomitum cient*, &c.

Exulcerantia pectori imposita non parum proficiunt, humores ad summam cutem e pulmone evocando.

Quæ alvum purgant, eodem spectant. Optima esse videntur leniora; qualia oleum e

seminibus ricini communis, et sales medii. Sed non juvat alvum acrius solicitare; imo potius nocet, infirmando.

Quæ vomere faciunt.—Hæc, circa initia, auxilium pollicentur, non solum ventriculum et intestina exinaniendo, sed etiam ob consensum, quo invicem consociantur ventriculus, cutis et membrana fistularum animæ, sudorem lenem eliciendo, et sputum promovendo. *Tartras antimonii* cum radice *ipecacuanhæ*, vel *sulphas zinci* aut *cupri*, in hunc finem adhiberi solet. *Digitalis purpurea* non prætermittenda est. Propter vim perinsignem, qua prædita sunt ejus folia, cordis et arteriarum motum sedandi, non injuria permulti medici summi nominis eandem experti sunt: certe non digna esse videtur palma, quam primo tulerat. Si quid juvat, id ineunte morbo fieri credo; et valde suspicor hanc plantam postea adhibitam, non nisi ad summam molestiam inferendam va-

lere, haud unquam profuturam. Ita, ni fallor, sentiunt summi ex viris hodiernis.

Quæ refrigerant.—Omnia *acida*, tum quæ *mineralia* vocari solent, tum etiam quæ plantæ præbent, utenda sunt, et per totum mali decursum utilia erunt.

Equitando et *navigando* quidam se hac peste liberos præstitisse videntur; iis rationibus moveri plane nihil nocere potest, si non proficiat. Equitando, citra sudorem, efficitur ut secernenda secernantur, et excernenda excernantur. Navigando, vomitus creber cietur; quo potissimum, hoc genus motus auxiliari videtur.

II. Maximi refert, quum salus sperari non potest, ut vita quam minime molesta sit, et fatum quam maxime differatur, moliri. Signa mala, quæ præcipue operæ pretium est

levare et consopire, sunt tussis, dolor, sudores et alvi fluxus lethalis.

Dolor et tussis, jam exulceratione facta, felicissime opio leniuntur; quod tamen dare non antea licebat, idque ex causa omnibus medicis notissima. Glutinosa omnia eodem operam conferunt; qualia sunt *lichen Islandicus*, nuper summi habitus, *gummi mimosæ Niloticæ*, et quæ sunt hujusmodi.

Cum tandem indicia pessima supra comprehensa, ad ultima ventum esse testantur, alvus continenda est, sudores cohibendi sunt; et vires sustinendæ sunt cibo aliquanto pleniore quam antea, e carnibus, egelidis devoratis: et vinum dilutius Lusitanicum est concedendum. Ad alvum continendam, *extracto mimosæ catechu, kino, opio, carbonate calcis, extracto hæmatoxyli*, &c. est utendum. Quo sudores cohibeantur, refrigerantia jam dicta sumenda sunt; sudor repressus alvi

fluxu graviore excipitur. Sæpe enim fit, ut hæ duæ exinanitiones vicissim urgeant, una aucta, si altera quiescat; alvi profusio longe tamen vitæ inimicior habenda est; ideoque hanc potissimum tollere medicum oportet; quod ut efficiat, opio et vino rubro maxime fidendum est.

FINIS.